

1497 ut legati jus & majestas impediretur , puer etiam delito , & in suas partes traducto : Senatus ea intelligens , literas ad legatum dedit , quibus literis legatus jubebatur , Hestori puer civitate adhibita denunciare , *Senatum non ambitionis aut dominationis causa civem suum Faventiam misisse , sed cum prius otii & quietis cupiditate ejus hostes , qui illum regno prope dejecerant , suis auxiliis repressisset , postea & civium precibus , & ipsius periculo permotum , constanti ejus diuturnoque rogatu id fecisse , ut esset , & qui oppidanis jus aequabiliter diceret , & quem ejus inimici propter rempublicam vererentur : ne is quotidie ob ætatis imbecillitatem , & hostium audaciam de suo regno periclitari cogeretur : illum etiam in suam militiam scripsisse , stipendio juvisse , ornatumque esse voluisse , dignitate auxisse , sua benvolentia pietateque fovisse : atque hæc illum ab Senatu omnia sine ullo fœnore , tanquam a patre filium , impetravisse , annumque integrum his reipublicæ muneribus & liberalitate usum fuisse : nunc vero , quando non modo nulla gratia tantis officiis referatur , sed etiam legati jurisdictione impediatur , reipublicæ auctoritas labefactetur ; velle Senatum & legato jubere , ut statim decederet : fatuum porro eum esse , qui alteri suo cum dispendio beneficium dat , quod ipse , cui datur , invitus accipiat . Iis literis palam a legato recitatis , puer rogare illum lachrymans obtestansque cœpit ne decederet : multique idem optimates frustra fecerunt : nam legatus nihilo secius decedens domum rediit .*

*Carolus editum in Italiam parat.*

Inter hæc Carolus , Juliano Genuæ ac Savonis ei ditionem pollicente , Alexandriæ Dertonæque Triultio , modo ipse redditum in Italiani appetet , Lugdunum venit . quibus intellectis rebus fœderati trium millium militum numerum in Liguria celeriter conscriperunt , eosque per arces oppidorum & castella distribuerunt : & Joannem Aloisium Fliscum adversæ factionis , hominem magna auctoritate , qui tum Genua exulabat , resque novas moliebatur , civitati restitutum , communī stipendio ei tradito ,